

etiam faciliùs possumus conservare (quoniam conservatio est continuata productio) atqui faciliùs cogitationes nostras quàm nos ipsos, imò, cogitationes nostras aliquo modo, nos ipsos nullo modo possumus producere. Homo autem nec lac nec saxum propriè conservat (dando iis existendi perseverantiam) quæ omnia melius intelligentur è sequentibus.

14. Si anima nostra semetipsam posset conservare, non adeo *optaret* post hanc temporalem vitam (quando à corpore separata est) vivere, non adeo desideraret atque expeteret æternitatem, si pro lubitu eam sibi ipsa dare posset. At superiora sufficiunt.

EXERCITATIO XXV.

Mentem nostram non conservari ab ulla re, nobis nota, quæ sit minùs perfectæ Deo.

I. **C**onclusio tertia sit: *causa me conservans non potest esse ulla res Deo minùs perfectæ*, ne quis parentes, hominem vel angelum animamve humanam aliam, quasi animæ meæ conservatricem, mihi obtrudere conetur.

2. Probatur de *homine et anima*: si vim
aliam